

B. N. II, 183.

374

II m
572

h. st. 42.

X 1881021 DE

CONCORDIÆ ORDINE,

QUEM

SERENISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS,
DOMINUS

CHRISTIANUS ERNESTUS,
MARCHIO BRANDENBURGENSIS, MAG-
DEBURGENSIUM, PRUSSORUM, STETINENSIVM,
POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALO-
RUM, UT ET IN SILESIA, CROSNÆ AC JÆ-
GERNDORFII DUX, BURGGRAVIUS NO-
RIBERGENSIS, PRINCEPS HAL-
BERSTADENSIS, MINDENSIS ET
CAMINENSIS

FUNDAVIT,

ORATIO INAUGURALIS,

HABITA

IN ILLUSTRIS

CHRISTIAN - ERNESTINO

COLLEGIO

D. XVII. NOVEMB. AN. MDCLXXIII.

A

JOANNE GEORGIO LAYRIZ,

HISTORIÆ SACRÆ ET CIVILIS

PROFESSORE PUBL.

BARUTHI STANNO GEBHARDIANO,



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO

CHRISTIANO
ERNESTO,

MARCHIONI BRANDENBURGENSI, MAGDEBUR-
GENSIUM, PRUSSORUM, STETINENSIVM, POMERA-
NORUM, CASSUBIORUM ET VANDALO-
RUM, UT ET IN SILESIA, CROS-
SENSIVM ET JÆGERNDORF-
FENSIVM,

DUCI,

BURGGRAVIO NORIBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADENSI, MINDENSI ET
CAMINENSI,

PRINCIPI MEO CLEMENTISSIMO

PERENATURUM
IN FELICITATE ET CONCORDIA
EXOPTO

IMPERIUM!



37

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,



Requentissima eorum, qui Augustissimo Magnorum Principum Nomini suos consecrant labores, ita fert consuetudo, ut variis se beneficiis obstrictos, tantamq; ad fiduciam adactos quasi publicè profiteantur. Hunc mihi si præfigerem hîc scopum, vereor, ne Dedicationis vice universa prodeat oratio, cùm non longè arcessenda sint beneficiorum commemoranda genera, quibus VESTRA SERENITAS totum me in ære suo fecit. Eam, quæ à SERENITATIS VESTRÆ Divis Majoribus, meis mihiq; exhibita gratia, inter aliena ferè censeo. Vestro, SERENISSIME PRINCEPS, beneficio, ego literarum studiis adplicitus, VESTRI in CHRISTIAN-ERNESTINI gremio feliciter, & quod præcipuè mihi laudi duco, unicè succrevi, VESTRO Favore illum, quem præfixeram, adpuli terminum, VESTRO nunc auspicio & jussu ad *Professoris Historiæ Sacræ & Civilis* munus in ILLUSTRIS hoc, quod VESTRA SERENITAS Nominis sui immortalis voluit esse monumentum, vocatus, ex largiori præcipuè recommendatione Viri *Maximè Reverendi, Magnifici ac Prænobilissimi Domini CASPARIS à LILIEN, Hereditarii in Waizzendorf/ VESTRÆ SERENITATIS Consilarii Intimi Ecclesiastici, Consistorii Vice-Præsidis, & Generalis Superintendentis*, cum tantum mihi

A 2

hono-

honorem per somnium ne quidem conciperem. Quod igitur à Divino maximè Numine, & *VESTRÆ SERENITATIS Clementissimâ Voluntate* injungi munus renuere & dementiae atq; impietatis erat, Inaugurali prætereà Oratione de *Illustrissimo CONCORDIÆ ORDINE*, turbulento hoc tempore vel maximè necessario, fui orsus, id *VESTRO, SERENISSIME DOMINE*, Favori, publicâ hâc inscriptione gratiis refero, & imposterum quoq; *SERENISSIMAE VESTRAE CELSITUDINI* me meaq; studia humillimè commendo, neq; ullus dubito, quin id, quod *VESTRUM* est, à *VESTRI* Divini Ingenii procescit firmitudine, *VESTRO* aeternùm litabit Nomini, *VESTRO* beatum se pollicetur Favore, *Clementissimo* quoq; recipiatur vultu. Vale *PRINCEPS FORTISSIME*, Vale *EXEMPLUM CONCORDIAE*, aeternùm valiturae, *SINE EXEMPLO*, & futuro quoq; aevo fructificantis *CONCORDIAE*, Coelestis Boni, nunquam intermoriturum firma monumentum.

SERENISSIMAE VESTRAE CELSITUDINIS

humillimus
cliens

JO. GEORG LAYRIZ.

M. JO. GEORGIUS LAYRIZ,
CURIENSIS
IN ILLUSTRIS CHRISTIAN - ERNESTINO COLLEGIO
HISTORIÆ SACRÆ ET CIVILIS PROF. PUBL.
L. B. S.



Premiis atque pœnis quam-
cunq; contineri Rempublicam, non heri, aut
nudius demùm tertius nata est sententia. Efficacissimum
progenerandæ virtuti medium sunt præmia, neq; id rationibus
ad evincendum indiget. Stoicorum olim dogma, virtutem si-
bi ipsi præmium esse, & mercedem semper pulcherrimam: sed
Stoicorum erat, i. e. ultra infirmam hominum sortem nitenti-
um. Ex præmiis enim virtus aestimari solet, sive id socordiâ, sive ingenii huma-
ni ambitione factum credideris, meâ parum refert. Nemo gratis bonus esse de-
siderat:

— *Quis enim virtutem amplectitur ipsam,*
Præmia si tollas? — — — —

Factum inde, ut dignitates olim indultis rerum privilegiis, quas inter præeminen-
tias opinio & consuetudo gentis posuit, conferrentur, qualia fuerunt, vestiri pur-
purâ, flavâ uti cerâ, alere cœsariem, solis sanguine Regio oriundis aliquando con-
cessa. Neq; viventibus tantùm decretæ statuæ, coronæ, insignia apud Roma-
nos, ut ad cœtera fierent alacriores; Sed & defunctis oblata præmia, ob facta &
merita, quibus magnæ virtutes decoratæ, quorum intuitu quilibet ad similem glo-
riæ & laudis contentionem rapiebatur. Non sine causâ Romani statuis, Viris
Magnis dedicatis, adscripserunt: POSTERI VIRTUTEM IMITANTOR. Suasit ta-
men ingens civilis ratio, ut non Personarum tantùm obtineret respectus in elo-
candis præmiis, ne frequentia & distributione indebitâ vilescant; sed & Civilium
rerum Doctores præmia, accipientibus quidem honorifica, ut quæ generosis ani-
mis efficaces ad Plus Ultra stimulos subdere valerent, attamen ærario & Reipubl.
minùs noxia constitui debere jubent. Quanto Romanis in æstimo pompa Tri-
umfalibus? Ast paucarum fuit horarum, Maximæ ducebatur gloriæ, coronâ redi-
mitum

mitum esse obsidionali vel civicâ, ex gramine aut marcescentibus confectâ frondibus. Insignium Nobilitatis apud priscos GERMANOS quis aliunde arcesset originem, quàm à pace & bello decorè gestis, merito post exornatis honore? Nec eadem magni constiterant. Honoratior generosos Spiritus inflammandi modus ORDINUM EQUESTRIUM habetur fundatio, quorum scopus præcipuus, dignis dignos adficere præmiis, sicq; ad plura pulchrè tentanda accendere. Ordo Equitum *Maltensium* sive *Joanniticorum* exigua vidit initia, circa Sec. XI. auspiciis custodiendi templi, & ægrotos in Hospitali decumbentes (unde *Hospitaliariorum* nomen in eos derivatum) curandi ergò institutus; mox *Palæstinâ* pulsus, *Rhodensium* Equitum condidit nomen, brevi in *Maltensium* transiturum. Quantam hi operam in Turcis à Christianorum interneccione retrahendis posuerint, hodieq; ponant, res ipsa loquitur. Sanè ab hoc Ordine Italiae, atq; ex barbarorum rapinis residuæ Europæ non minimum dependet commodum. Qui fortissimum Christianorum propugnaculum dixerit *Maltam*, nec fallerit, nec falleretur. Ita stimulus honoris atrium ad immortale paravit decus. Interesset quidem quàm maximè, hoste adeò formidabili, qualis Turca insuperabili Nostro, proh! damno creditur, varia contra exquirere media, illius infringendi libidinem, ac debellandi infrenem potentiam. Augustissimi Cæsares sedulo hæcenus in id incubuerunt, bestiam isthanc variis, quibus possent, modis compescendi, ex quibus non ultimus ille habitus, quem D. RUDOLFUS II. in *Comitiis Ratisbonensibus* An. 1576. edictis, ad deliberandum proposuit, §. *Ferners haben wir. Propositionis Cæsareæ.* Ubi Gloriosissimus Imperator ulteriori Statuum consultationi reservavit *novum Equitum Ordinem* contra Turcam instituendum, ibiq; non hostis tantum depingit sævitiam, sed & plura ex Antiquitate utiliter adfert exempla. Sic non incelebris Ordo *Caroli Martelli, Caroli Magni*, in Virtutis Frisiacæ redhostimentum fancitus, Ordo *Ensiferorum, Templariorum.* Ordines *Hispaniæ, Jacobi, Alcantara & Calatrava*: Ordo *Clypei aurei in Galliâ*, cujus insigni nominis indici inscriptum: *Allons, eamus omnes ad patriæ, quæ maximè decet, defensionem.* Ordo *Elephantinus; S. Georgii*, communiter *Austriacus*, quem FRIDERICUS III. Imp. A. 1470, ut Equites finibus Hungariæ & Germaniæ defenderendis attenderent, ordinavit. Plures hinc addere quid opus? Qui exactiorem eorum desiderat noticiam, *Aubertum* adeat *Miraum*, nec non *Fr. Menenium*, origines, & alia circa Equestres Ordines nec scitu injucunda, nec obvia ubiq; fatis prolixè evolventes. *Hier.* item *Megiserum in deliciis Ordinum Equestrium*, aliosq; plures. Similem igitur in modum Gloriosissimus RUDOLFUS maximo rei Germanicæ bono *novum contra Turcas Equitum Ordinem* excitari suasit, varias exhibens necessitatis pariter & insignis utilitatis stringentes rationes, modumq; quò servari, dilatari & propagari queat. Et probabantur

bantur eadem à Statibus, sed nescio, quod Germaniæ iniquum fatum optimè deli-
beratum interturbaverit eventum. Repetita quidem res denùo in Comitibus *Regi-*
noburgi A. 1603, ab Eodem Imp. habitis, prout ex R. l. §. *Wie wir auch una-*
vergessen bleiben. patet, sed non dispari cum priori successu. Ita minùs neces-
sariorum dum superflua aliquando habetur ratio, quæ magis Imperio possent con-
ducere, prætermittuntur. Tentavit equidem hujus Ordinis foundationem *Dux*
Nivernensis Anno hujus Seculi XIX. condito *Vienna Equitum S. Militiæ Ordi-*
ne; Verùm emortuus rumor Ordinis simul testatur exequias. Splendidissimam
nominis famam *Aurei Velleris Ordo à Philippo Bono, Burgundiæ Duce, A. 1429.*
institutus meruit à fabulosò illò Argonautarum vellere. Nec minus *Anglia* de-
cus in nobilissimo *Periscelidis* quærit *Ordine*, qui tamen ab indecori amoris pru-
ritu sortitus fuit natales. Sed ipsos hos Ordines ad merum aularum ornamen-
tum, & honorum inania quædam schemata referre qui velis, parùm errabis. Me-
liùs illi, qui ad veros, grandes, & reip. prosperos, quos pacis & belli ævo exhibent,
usus, ad commodantur. Illustrior & insignior is est, qui pluribus obligatur, nobi-
lioribusq; vel ad privatam, vel publicam vitam spectantibus muneribus ac virtuti-
bus. Imò hosce, qui publicæ felicitati pacifico, & bellis non perturbato statu
conducunt, illis præfero Ordinibus, quorum vis maxima inter clangores tubarum
& bellicos est tumultus. Sicut enim multi cum *Belone* manu quidem strenui,
pacis contrà artium & civilis habitûs omninò rudes: multi cum *Primo Antonio* pa-
ce pessimi, bello non spernendi: ita pacis quoq; artes sublimioris censentur natu-
ræ, quàm belli. Sed quid majoris quæso & pacem constringendi, & bellum quod-
cunq; feliciter sopiendi ponderis esset, *Divâ CONCORDIA*? Hæc sine pax nul-
la, licet mille superbis gloriatur titulis. Et hanc quæ civitas suis exturbavit po-
mœriis, de eâ si non conclamatum jam est, ultima tamen & pessima illi instare ex-
clamandum. Quantoperè igitur constans *CONCORDIÆ ORDO* & sincer-
us optandus? Prohibet chartæ angustia, adferre hic *Cornelium à Lapide*, non
obscurum è societate Jesu Patrem, qui in *Matth. V. 9.* optat, ut in Ecclesia tam,
quàm foro pia *Pacificorum* instituatur congregatio, cujus sit officium, cunctas
in urbe sopire lites, & animis dissidentes ad pacem & concordiam revocare. Lau-
datq; præcipuè *P. Barzæum*, qui *Armuzii & Goæ in Indiâ* ad eò civium continu-
erit animos, ut Advocati & Procuratores sibi fame moriendum esse ultrò profite-
rentur. Produco tantùm Nobilissimum *Magdalene Ordinem*, quem A. 1614.
Galliæ quidam Eques *Je. Chesnel* divino ex fervore, ad revocandos infrenes Gal-
lorum impetus, (id enim commune ferè nationi vitium) ab intestinis discordiis
& duellis, fundavit, cujus Insigne hoc elogio fuit exornatum: *L'Amour de Dieu*
est pacifique: seu Amor Dei est Pacificus. Sed neque *Serenissimus Princeps ac*
Dominus, Dominus CHRISTIANUS ERNESTUS, Marchio Brandenbur-
gensis,

genfis, Magdeburgensis, Prusorum, Stetinensium, Pomeranorum, Casubiorum;
 Vandalorum, Silesiorum, Crosensium & Jegerndorffensium Dux, Burggravius No-
 ribergeris, Princeps Halberstadenfis, Mindensis & Caminensis, Dominus ac Nu-
 tricius meus Clementissimus, æterno illo fraudandus est præconio, quò Cœlestis
 animi fodicantibus stimulis Illustrissimum CONCORDIÆ Ordinem fundavit.
 Cum itaq; jussu Viri Maxime Reverendi, Magnifici, ac Præ-Nobilissimi Domi-
 ni CASPARIS à LILIEN, Hereditarii in Waizendorf / Consilarii Intimi Ec-
 clesiastici, Consistorii Vice-Præsidis, Generalis Superintendentis, & Gymnasii hujus
 Illustris Directoris gravissimi, Mæcenatis & Promotoris mei omni observantia cultu
 atatem mihi venerandi, more consueto, Oratio Inauguralis esset habenda, dum
 scilicet Divini Numinis nutu, & ex mandato Serenissimi Patriæ Patris, post abi-
 tum Viri Plurimum Reverendi atq; Amplissimi, Dn. LUDOVICI LIEBHAR-
 DI, Fautoris & Amici mei multis nominibus colendi, ad Pastoris & Superin-
 tendentis Monachomontani officium, Historiæ Sacræ & Civilis Professio mihi fuit
 injuncta, eam, quam debui, & par erat, observantiæ gloriam mihi relictam volui,
 & hoc præ reliquis, turbis & intestinis odiis fervente nostro seculo, elegi dicendi
 argumentum. Quod itaq; Felix, Faustum, & Reip. literariæ cumprimis fiet uti-
 le! crastinâ Lune Die, horâ IX. antimeridianâ habendâ de Illustrissimo CON-
 CORDIÆ ORDINE Oratione, Munus impositum auspicator. Proinde ut
 Actum hunc Panegyricum Celsissimi Principes ac Domini, Dn. ERDMAN-
 NUS PHILIPPUS, Dn. CHRISTIANUS HEINRICUS, Dn. CAROLUS
 AUGUSTUS, Marchiones Brandenburgici, Prussie Duces &c. Domini Mei
 Per-Clementes, Illustres item & conspicui Musarum CHRISTIAN-ERNESTI-
 NARUM PATRONI, DIRECTOR ET FAUTORES, Generosissimus Dn. L. B. à
 Blumenthal / omnesq; bonarum artium & Pacis atq; Concordiæ amantes Suâ
 condecorare ne dedignentur præsentia, sed splendidiorum potiùs reddant, humi-
 li, submissâ & officiosâ mente ac voce precor, mea contrâ obsequia, studia, & gra-
 tissimum pro isthoc officio animum repromittens, P. P. Baruthi Dom XXV.
 post Trin. D. XVI, Nov, Anno MDCLXXIII.

CEL-



CELSISSIMI PRINCIPES,
DOMINI PER-CLEMENTES!

*VIRI Generose, Maximè Reverende, Perquàm Strenui,
Magnifici, Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi,
Generosissimi Domini BARONES, Plurimum & Perquàm
Reverendi, Amplissimi, Præcellentissimi, Præclarissimi, Præ-
stantissimi atq; Pereximii, Domini, Mæcenates, Patroni, Pro-
motores, Collegæ, Fautores & Amici omni obsequii, honoris
& amoris cultu æternùm prosequendi. Tuq; Nobilissima &
Florentissima Juventutis Corona.*



R: Omanorum civitas extenuioribus quidem
initiis ad id honoris, splendoris & roboris
progredia fuerat fastigium, ut acerrimum
Gallorum, hostium tam animi ferociam, quam
numeri pondere præpotentium, impetum
timidiùs quidem sustinere, ast fortiùs repel-
lere, *M. Furii Camilli*, civis sui tum exulis
invictam valuerit virtute, adeo, ut in beatissimum se statum ad-
ferere, nil nisi unicum exasciatæ prudentiæ tunc opus fuerit.
At brevis hæc temporis felicitas: Quantillum enim erat, ex-
teros vicisse hostes, & in propria sævire viscera? quanta,
quæso, lætissimam hujus Reipubl. formam universi corporis
macies, quanta singulorum membrorum sequebatur imbecil-
litas? Sparserat scilicet diffidentia, simultas, livor, disfidio-
rum semina, quibus pulcherrimus ille publici statûs contex-

B

tus

tus labefactabatur, mox in aperta odia & civile bellum progressurus. Dum enim multiformis & raro consona plebes, nuperis triumphis tumida, ad altiora extolleret animum, se vero à Patriciis omni honoris gradu, omni Consulatus dignitate, videret exclusam, in turbas ruere, ima summis movere, ex suis quoq; Consules legendos clamabat. Quantatùm Patrum animos sollicitudine hi motus tenuerint, vel ex *Camilli Dictatoris* constitutione, quæ non nisi maximis in periculis fieri sueverat, (is enim verus & Ordinarius Dictaturæ scopus) constare poterit. Neq; ipse *Camillus*, ingenii sagacissimi, & omnia periculorum repellens tentamina, aliter Patriæ, Consulibus aliter, aliter sibi & universis, consuli posse censuit, ni omnium animorum contentione vitatâ amicabile sectarentur foedus, & firmum CONCORDIÆ necerent vinculum, quò turbulentorum compressis factionibus, novas dein in omne seculum evitarent. Summa igitur pericula volvens *Camillus*, DEOS non tantùm precatus est, ut quàm optimè hoc ipsum moderarentur, sed & compressâ seditione, se *Templum CONCORDIÆ Deæ* dedicaturum vovit, voti q; compos exolvit. (*Plut. in vitâ Camilli.*) Ast cum per istud CONCORDIÆ fanum non omnis urbe exularet discordia, verùm graviores post extarent seditiones, rei q; Romanæ statum fortiter convellerent, altera quoq; huic ipsi CONCORDIÆ *Divæ* dicata fuit ædes, à *Cn. Flavio*, è libertino genito, qui ædilis ex plebe primus in *Vulcani areâ CONCORDIÆ templum* summâ nobilitatis invidiâ dedicavit, cùm is honor majorum more non nisi Consulibus aut Imperatoribus contingeret.

tingeret. (*Liv. l. IX. 46.*) *L.* porro *Manlius*, *Prætor* tum *Gallie*, tertiam *CONCORDIÆ* ædem consecravit, cum militari imperium conquassaretur seditione. (*Liv. l. XXIII. 21.*) Parum temporis denuò interceptum, quò immani civitas mota tumultu, dum *Tiberius* & *Cajus Gracchi*, Fratres alioquin tantis adornati virtutibus, quantas perfectâ & naturâ & industriâ mortalis conditio recipit, à bonis desciscere conantes, in præruptum atq; anceps periculum adducerent *Rempubl.* Hoc certè civilis sanguinis in urbe Româ initium *Vellejus* pariter (*l. II. 3.*) & *D. Augustinus* (*l. III. 24. C. D.*) faciunt. Verùm in herbâ angvis opprimebatur, ne malum latiùs serpendo ad invidiam usq; excresceret, & *Tib.* quidem *Gracchus* à consobrino *Scipione Nasicâ* fragmine subselliis idus periit, quando scilicet ferrum in civem stringere impium adhuc credebatur, alter servo cervicem præbuit secandam. Sed *L. Opimius* tum *Cos.* ad disfitos Civium animos conciliandos, & beatum *Reip.* statum inferendum, eò in loco, quò *Gracchus* oppressus, quò civium strages edita, non sine ingenti populi *Rom.* indignatione *CONCORDIÆ* sancivit ædem, indeq; cum construeretur, hæc noctu verba inscripta tulit: *Opus Vecordia templum facit CONCORDIÆ.* (*Plut. in C. Graccho.*) Tandem & *Livia AUGUSTI CONCORDIÆ delubrum*, quod *Camillus* primum posuerat, temporis diuturnitate penè collapsum restituit, à *TIBERIO* dein dedicatum, cum *GERMANIS* à *Druso* clades non incruenta fuisset illata. (*Ovid. l. I. Fast.*) Tanti scilicet *Concordia* à sapientissimis ducebatur Romanis, per quam stare, sine quâ cor-

ruere omnem Rempubl. non malè judicabant: proinde & hæc *CONCORDIÆ* *templa* Magistratui cum senioribus deliberandi, (*Sall. in bello Catilin.*) & ipsis quoq; *CÆSARI-BUS* arduum imperii onus deponendi locum præbebant, sicut & *VITELLIUS CÆSAR* in *CONCORDIÆ* *æde* Imperii insignia ponere voluit, (*Tac. III. H. 68.*) suâ hac abdicatione perennaturam exoptans *concordiam*: Eidem ulterius *Dea annuum*, idq; *duplex festum* Romæ fuit celebratum, *unum XVII. Cal. Febr. alterum verò III. Cal. April.* & hoc quidem junctis *Jani, Concordiæ, Salutis, Pacisq; Diis ac Deabus*, siquidem nec rationem ipsam [per *Janum* indigitatam] quam suavis non moderaretur in homine *concordia*, optimis semper intentam manere, nec Reipubl. ullam esse *salutem* posse, absq; hæc existimabant, & specioso *Pacis* titulo cunctos illos mentiri, qui Augusto hoc nomine dissociare civium, & in se invicem lacescere quærunt animos. Quid nobis, **AUDITORES**, faciendum censetis, dum prudentissima hæc gens, cui nemo unquam genuinam prudentiæ laudem verè detrahere fuit conatus, *concordiæ* tantam habuerit rationem, num nobis parvi ipsa erit pendenda? num nostram sine eâ valituram judicatis Rempubl. convulso maximè hoc tempore? Absit hæc *GERMANIS* mens! absit! Aliter *Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus CHRISTIANUS ERNESTUS, Marchio Brandenburg. Magdeburg. Prusorum, Stetinesium, Pomeranorum, Casubiorum, Vandalorum, ut & Silesiorum, Crossensium & Jagerndorfensium Dux, Burggravius Noriberg. Princeps Halberstad. Mindens. & Caminensis, Princeps*



ceps ac Dominus Noster Clementissimus, aliter, inquam, longè ex *Divini ingenii suasu* universæ Christianorum salutis conducere duxit *CONCORDIAM*, siquidem cum *Q. Fabio Cos.* nihil *Concordi Collegio* firmitus ad tuendam Rempubl. & quamcunq; aliam societatem ratus, optimè & prædeliberato animo ad immortale sui nominis decus *CONCORDIÆ* institutum voluit *ORDINEM*. Proinde cum *SERENISSIMO PATRIÆ PATRI*, *Professoris Historiæ Sacræ & Civilis* munus clementissimè mihi injungere libuerit, idq; *Inaugurali* nunc *Oratione* consueto ritu fiet auspiciandum, non aliud certè dicendi argumentum *Serenissimo Illustris Collegii CHRISTIAN - ERNESTINI Fundatori*, non aliud *Vestro, AUDITORES, Illustri & conspicuo Favori*, non universæ aliud *patriæ* magis ad commodum fuit judicatum, quàm si *de hoc CONCORDIÆ ORDINE* breviter quædam dislicerem. Id dum molior, *Vestram AUDITORES*, imploro benevolentiam, ut *de CONCORDIÆ dicenti ORDINE* concordēs animos ac aures ne denegetis: his enim ventis sufflata *orationis meæ* vela, ordine & ex voto, quem sibi elegerunt, portum facillè adpellent.

Non uno *barbara Moscovitarum* gens nomine vapulat, hōc verò vel præcipuè, quòd nemini hujus nationis patriam pedem efferre, absq; speciali *Magni Ducis* permisso, liceat: (*Ad. Olear. in Itin.*) Aliter longè *GERMANI*, aliter Generosiores sentiunt mentes, quæ, cùm humiles & plebejæ animæ domi resideant, suis adfixæ glebis, diviniorem illam certè ducunt, quæ coelum imitatur, & motu gaudet. Verùm non

omnibus eosdem ex peregrinatione fructus redire, jam suo *Socrates* tempore abundè fecit testatum. Quot enim sunt illorum, qui non tam fructu, quàm cum voluptate peregrinantur, plura ad adspèctum, quàm ad salutem referentes? *Serenissimus noster Princeps*, Ignei planè & Cœlestis Ingenii firmitudinem, exterorum quoq; moribus & institutis roborans, præsentium, quos jamtum collegerat, profectuum rationes, cum futuris utilitatibus sapiendi felicitate connectit, quam vel sola **CONCORDIÆ ORDINIS** institutio satis prodit. Totus fermè terrarum Orbis bellorum incendiis conflagraverat, varias *Europa* regiones flamma depaverat, ferrum vastaverat; *Suecia* in *Poloniam*, & ipsam quoq; *Germaniam*, quin & in *Daniam* hostile vibrabat, vincendo pariter & succumbendo, telum; *Galli* & *Hispani* mutuis sibi cœdibus, lanienis & rapinis gratulabantur; *Anglia* in proprium furibunda caput, inaudito scelere REGIUM extirpaverat nomen; & ecce! præter omnem omnium expectationem *concordia* ad cunctas *Europa* nationes, eodem ferè temporis articulo, post longinquirem secesum reversa, maximo jubilo excipiebatur. Amicam *Germania* nostra dexteram *Sueciae* porrigebat, societatis atq; amicitiae vinculum necèbant *Polonia* ac *Dania* cum eadem; *Gallia* datarum & acceptarum cladium inmemor ferrum hostile suaviis, minas dulcissimo amantium risu, plagas blandissimis verborum lenociniis commutabat; & *Anglia* plùs, quàm REGII Imperii fallaci hætenùs sub nomine per-tœsa, splendido cum triumpho revocabat Regni hæredem **CAROLUM**. His singulis, inquam, *annus* abhinc *tertius* & *decimus*

decimus, MDCLX. scilicet, adeò propitius illuxit & fortuna-
tus, ut non *Germania* tantùm, sed univèrsa potiùs *Europa*
pretiosissimo pacis *Cimelio* se tunc beatam prædicaverit. Ne
divini igitur hujus beneficii unquam oblitteraretur memoria,
Princeps Noster Serenissimus, circumspècto quàm maxumè
animo *CONCORDIÆ ORDINEM* voluit fundatum, tum
præcipuè, cum oculis curiosis amicissimum *Catholici* pariter
& *Christianissimi Regum* Conventum, in *Hispania* & *Gallia*
confinibus lustrâset, qui ut nullâ non parte splendidissimus,
& verè Regius, ita præter omnium contigit memoriam, suâq;
novitate vel ex infinitis *Europa* angulis varios ad se pertra-
xit. Quod tamen ibidem locorum occasione esset destitutus,
intra tacita secum mentis præcordia constitutum exequendi,
non diu differendum ratus, cum ex *Hispania* terminalibus
Gallicas relegeret terras, & in *Vibiscorum Biturigum Metro-*
polin Burdigalam, urbem amplam, divitem, *Archi-Episcopa-*
tûs prærogativâ, & *Parlamenti Curiâ* à *Carolo VII.* institutâ
Illustrem, quæ inter primarias *Gallicani Regni* urbes caput ex-
tollit, ut de portu *sileam*, instar *lunæ crescentis falcato*, atq; ita
capace, ut sexcentas interdum naves numeret, (*Fourn. Geogr.*
l. VI. 38.) se contulisset, in effectum id dare nisus est, atq; in
honorem præprimis *DEI TRINUNIVS*, perpetuam *Regum*
& *Principum concordantium memoriam*, ad *Serenissimi Con-*
ditoris nunquam intermorituram nominis celebritatem, & *vari-*
orum Magnatum, suorumq; sibi magis devinciendos animos,
die *XV. Junij* *CONCORDIÆ* hunc *ORDINEM* consti-
tuit & fundavit, maximè, quòd *Serenissimo Principi* in ani-
mum

mum revocaretur, in eâdem *Burdegalsium* urbe ab *Angliæ*
Rege EDOARDO III. cognomine *Sando*, nobilissimam
Equitum Auratorum societatem, sive *Periscelidis Ordinem*
 fuisse institutum; Ipseq; non solum *Princeps Serenissimus In-*
signe huic *ORDINI* congruum electum recepit, sed & præ-
 cipuis quibusdam itineris tum *Comitibus* idem concessit, inq;
ORDINIS sodalitiū eos elegit, quos inter vel maximè no-
 minandi *Serenitatis suæ Ductores* tum & *Doctores*, *Achatæ fi-*
disimi, *Generosus*, ac *Maximè Strenuus Vir* DN. *ERNE-*
STUS HEINRICUS Bork / *Hæreditarius in Regenswald /*
Strameln / Jozenau und Fahrenbach; *Serenissimi Principis ac*
Domini Nostri tum quidem *Ephorus*, post felicissimum verò
Patrij Phœbi Ortum Consiliarius Intimus, *supremus Aulae*
Mareschallus, & *Camerae Director gravissimus*, cujus præ-
 maturum, licet beatissimum, ex hâc vitâ abitum omnes bo-
 ni etiamnum dolent ac plangunt: nec non *Vir Summè Reve-*
rendus, *Magnificus atq; Præ - Nobilissimus Dominus* CA-
SPAR à LILIEN, *Hæreditarius in Waizzendorf / Serenitatis*
Suæ illo quidem tempore *Consiliarius & Inspector*, hodiè verò
Consiliarius Intimus Ecclesiasticus, *Consistorii Vice - Praeses*
eminentissimus, *Superintendens Superioris Burggraviatûs Ge-*
neralis, & *Gymnasii hujus Illustris Director longè gravissimus*,
Dominus & Mecœnas meus omni observantiæ cultu æternum
devenerandus, quem *Diva Providentia* ad *Nestoreos*, eosq;
 felicissimos producat annos! & qui initiò memorandus erat,
 certè *inter primos primus à Serenissimo Conditore* in hunc *OR-*
DINEM adscitus, tum quidem absens, *Patriæq; Saluti* unicè
 invigilans

invigilans *Vir Reverendissimus, Per - Illustris & Generosissimus Dominus CAROLUS L. B. à Stein / Dominus Hereditarius in Rupperts / Emtmansberg / Hagenau / Ost-und Nordheimb / Altkünberg / &c. Consiliarius Intimus Brandenb. Cancellarius, & Judicii Aulici Director gravissimus, nec non superioris Burggraviatus Norici Dapifer hereditarius, Ordinis Joannitici Eques, & Designatus Commendator in Lützen / Mecœnas meus Maxumus, cujus quoq; ab ædibus dura ac dira fors perpétuò refugiat ! Hos tanquam primos CONCORDIÆ ORDINIS statuminatores, succedaneo insecuti sunt tempore Celsissimus Princeps ac Dominus, DN. CHRISTIANUS AUGUSTUS, Dux Holsatiae Nordburgensis, Comites, Nobilesq; plures, quorum hîc Catalogum texere mei non patitur instituti ratio, qui omnes haud exiguæ sibi gloriæ duxerunt, CONCORDIÆ ORDINI adscriptos se fuisse. Quod autem aliis ferè *Equestribus Ordinibus* commune, ut externo aliquo *Insigni* se conspiciendos præberent, id certè & *Illustri CONCORDIÆ ORDINI* non defuit, sed *Serenissimi Auctoris* exactissimam cœlestis ingenii sublimitatem, velut speculum quoddam limpidissimum tam solidè excogitata prodit inventio. *Corolla* siquidem *splendido adamantum nitore nexa, auroq; inclusa cernitur, cujus in medio aurea refulget bractea, encaustog; opere duplex oliva pulcherrimo certè artificio cingit verbum medium : CONCORDANT.* *Olivarum* quolibet *aureâ redimita coronâ superius tandem sub Principis tiarâ* [ut vulgò dici conluevit] *alteri se jungit & nedit : In adversâ verò facie artificiosissimè picto opere Serenissimi Conditoris**


C

nomen,

glie
am
nem
In-
ræ-
inq;
no-
e fi-
E-
ld /
is ac
verò
lulæ
ræ-
bo-
ve-
A-
atis
verò
ases
Ge-
nus,
nium
osq;
erat,
OR-
nicè
lans



nomen, mirâ literarum commisurâ, annus & dies foundationis,
XV sc. Junij, Anno MDCLX. adparent. Hocq; Insigne OR-
DINIS CONCORDIÆ dexterrimè excogitatum, pretio-
sisimè confectum sinistro brachio cœsiâ circumligatur fasciâ.
 Certè admirandam ejus structuram ego cum sexcentis alijs
 mente concipere vix valuissem, nî oculis ipsimet coràm intro-
 spiciendi, omniaq; adcuratiùs rimandi, *Maximus Meccenas*
 copiam benignissimè fecisset. Exteriora hæc pulchrè sensus
 adficiunt, magis tamen ad mentem penetrant per *insigne* hoc
Insigne indigitata. Non enim concordantes tantùm *Gallia*
 & *Hispania*, aliosq; tùm pacificantes *Reges & Principes*,
 sed tutissimam quoq; *Rerumpubl. Imperiorum, Regnorum*
 atq; *Principatuum* basin illô repræsentatam observare licet.
Pytho Rhetor Byzantinus, *Athenarum* incolis civili seditione
 tumultuantibus, *concordiam* suafurus, populo cum ex cor-
 poris habiturifum moveret, tanquam supra modum obesus,
 ipse Orator jocum in rem vertit seriam: Quid, inquiens, ci-
 ves, ridetis? Uxor mihi est multò obesior, & tamen *concordes*
 grabbatulum quodvis capit, *discordes* ne tota quidem do-
 mus; quô ipsô sermonis pertexit propositum. Ingeniosè cer-
 tè ab Oratore dicta! *CONCORDIA* enim vel minutissi-
 mis sese dilatandi, & adversos quosq; insultus propellendi in-
 dit munimentum. Antiquos fanatico Deorum cultui addi-
 ctos sub matrimoniorum auspiciis *Junoni* Sacra facientes fel-
 ex hostiâ revulsum abjecisse, juxtaq; aram infodisse novimus,
 ut bilis, iracundia, jurgia separentur à sacro hoc *Conjugiali.*
Hymenæum iidem auspicium turture & cornice cœperunt:
cornicum



cornicum enim tanta credebatur pudicitia, & fidei retinenti-
or animus, ut marito mortuo lugeat defunctum, totamq; vi-
tam, quæ IX. ætatibus durare perhibetur, sic transigat. Inde
Scaliger ad versum *Tibulli*: (l. II. El. 2.)

Huc veniat Natalis avis:

Avis, ait, est *Cornix*, quam *Concordia* Symbolum in *Nuptiis*
Veterum invocabant, inde par integrum optimum credebatur
augurium, pessimum contra, vidisse singulares. *Græci* quoq; in
festis nuptialibus lætissimo clamore intonabant: Κόρη κόρη κορώνη.
id est: *satura puella cornicem*, ut tibi scilicet non minùs fau-
stum contingat conjugium, quàm illi apud *Athenæum*, quæ fi-
cus pro prandio cornici attulit. *Concors* profectò atq; al-
terno amore matrimonium eximium inter humana bona est,
Poëtaq; Lyricus censet illos

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsa querimoniis
Suprema citius solvet amor die. (*Horatius* l. I. C. 13.)

Præcipuum frequentiores *Conjugii* amatores oblivione quâ-
dam sopiendi medium atq; remedium mutuus certè conju-
gum amor habetur, inde *Senecæ* effatum: (*Ep. 4.*) *Monstra-*
bo tibi amatorium sine medicamento, sine herbâ, sine ullius ve-
neficæ carmine: si vis amari, ama: cujus quidem genuini a-
moris antiquorum plura extant monumenta, ex quò beni-
gnissimò fonte dulcissimus *CONCORDIÆ* rivus promanat,

C 2

& in



& in omnibus rebus agendi unanimis consensus, neq; hujus studium non vulgare *Romanis*. *Macrinum* egregiis effert laudibus *Plinius Cecilius Secundus* (l. VIII. Ep. 5.) quod per XXXIX annos cum uxore sine jurgio vixerit, sine offensa. Et publicum infucati amoris, quô marito cum maritâ in gratiam unquam redire nunquam jusfit necessitas, testimonium prodit illa *Romæ* inventa inscriptio :

Q. CAVIUS. SEVERUS.
RUTILIÆ. PRIMITIVÆ.
CONJUGI. SUÆ. DULCISSIMÆ.
CUM. QUA. VIXIT. ANNIS. XX.
SINE. BILE.

Hoc modo, quando *fœmina unum accipit maritum*, quomodo unum corpus, unamq; vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium amet, quod de *GERMANORUM* fœminis prædicat *Tacitus*, (c. 19. de M. G.) optatissimum næ ! hoc dicendum conjugium. Ex adverso infaustus vel præcipuè ille thorus, quô distractis animis & corporibus sæpiùs vivunt Conjuges, qualis perpetuis rixis & contentionibus miserè resonantis matrimonii inscriptio lepida *Romæ* legitur apud *Camerarium*, (Cent. I. 51. *Hor. subcis.*)

HEUS VIATOR ! MIRACULUM.
HIC VIR ET UXOR NON LITIGANT.
QUI SUMUS, NON DICO :

AT

AT IPSA DICAM:
 HIC BEBRIUS EBRIUS ME EBRIAM NUNCUPAT.
 NON DICO AMPLIUS:
 HEUS UXOR!
 ETIAMNUM MORTUA LITIGAS?

Exiguus admodum domibus solo hoc unitis vinculo tantum conciliavit *concordia* splendoris, ut in mirandam adcreverint magnitudinem. Familiarum munitissimum robur, ac quovis muro firmitus munimentum fratrum idem velle esse atque idem nolle, ex divinis æquè literis ac gentilium scriptis uberri- mē patescit, ceu vel ex suavissimā *Arthmentis* & *Xerxis Darii* filiorum, non de tuguriolo aut prædio quodam, sed diffuso maximè Persarum regno contentione apud *Justinum* (l. II.) adparet. Æternā laude celebrandi sunt XVI. unius gentis *Ælij*, unam possidentes domunculam, uniusque villulæ se fru- ctibus sustentantes, & in unā illa domo, si domum dixisse fas est, multis cum liberis & uxoribus habitantes. (*Plut. in Æ- myl.*) *Scilurus* ille, *Scytha* an *Germanus*, jam non disquiram, quid convolutō sagittarum fasciculo, iisque divisim facillimè confractis, collectis autem validissimis manentibus, inten- derit, cuius notum autumo. *Concordibus* ita familiis quid obstat, quominus & florentissima sint Collegia, animis pu- blico in officio junctorum sibi invicem constrictis, cum & ipsa *Collegarum* adpellatio à mutuā in unum *colligatione* dicatur. Quod in animum revocaturus Poëta, quoscunq; *Collegas* ita adloquitur:

C 3

Este

AT



*Este pares, & ob hoc CONCORDES vivite, nam vos
Et decor, & virtus, & honor sociavit, & aetas.*

Ex minoribus Collegiis exurgunt majora. Qui divinam hominis Originem & sublecutam ignorant multiplicationem, varias, easq; ridiculas commenti sunt causas, quibus moti in familias, collegia & civitates primi coierint. *Epicuro* fortuitum placuisse concursum tradunt; alij *Eloquentiam* aut *Musical* cives congregasse fingunt; alii *indigentiam* rerum civitatibus omnibus dedisse ortum referunt; plures majoris potentiae *metum* adsociant, infirmiores in Majorem societatem compellentem, ut à grassatorum & latronum insidiis atq; injuriis tuti essent. *Natura* certè munere qui civitates producat ajuunt, optimè, me quidem judice, id adserunt. Continebat scilicet primos parentes conjugalis amor, natos parentum tenerrimus adfectus, inde familia, quæ multitudine sobolis abundans, & quotidianis auctibus crescens, novas deducebat colonias, donec civitati sufficeret. (*Horn. Pol.*) Præstitit id omne societatis & *concordiæ* ingenitus amor, qui consanguineorum cohabitatione novum capiebat incrementum, quod & *Philosophus* vidit, hominem propterea *animal Politicum sive sociabile* adpellans, & propter naturam illam omnibus congregativis animalibus anteponebat, integramq; civitatem ideò naturâ constare adfirmat. Vastissimam hominum multitudinem mentis mecum lance dum expendo, jugum & leges unius vel paucorum ferentem, in quibus tamen multoties exiguæ, aut nullæ sæpè virtutum emicant scintillæ,
prodigio

prodigio id certè mihi non videtur multùm absimile. Homi-
nem regendi animal morosum, cui libertate nihil acceptius,
dixere *Philosophi*, frenum tamen patitur, nec unus, sed in-
gentes eorum myriades. Mutuus id præstat consensus, na-
turalis ad *concordiam* facit instinctus. Religionem Rerum-
publ. firmissimum esse vinculum, non nisi ex *Florentini Poli-
tici* scholâ quidam prodeuntes ausi sunt inficiari, qui Rem-
publ. sine cultu divino consistere posse ajunt, pietatem priva-
tam faciunt virtutem, juxta illud *Seneca*: (*in Thyeste.*)

Sanctitas, pietas, fides

Privata sunt bona; quâ juvat, Reges eant.

Ast toto hi cœlo aberrant. Firmamentum omnis imperii est
religio, hâc sine ruere necesse habet, quæcunq; superstructa
fuerit potentiæ moles; hæc anchora, sine quâ nec se, nec
commisam sibi regiminis navem tueri potest Princeps in tot
fluctibus difficultatum ac periculorum, qualia regnis solent
incumbere. Sed quæ alia magis prægnans suadeat ratio, re-
ligionis unitatem, si factu sit possibile, in Rempubl. esse intro-
ducendam, solius nisi *CONCORDIÆ* studium, cum eâ civi-
um animi arctissimè inter se combinentur ac convinciantur.
Quantùm Religionis toties iterata mutatio, & varia diversitas
malorum vel in ipsam invexerit *GERMANIAM*, quilibet, e-
heu! per se fateri cogetur: neq; id *GERMANIÆ Procere* gli-
scente maximè & fervente religionis dissidio negare ausi, sed
palàm in *Recessu Imperii Augustano Anno 1555.* profes-
sunt,

sunt, religionis disfidium à longo jam tempore omnium ferè turbarum, calamitatum & adversitatum in S. Imperio Nationis Germanicæ causam fuisse. Et hominem quis CONCORDIÆ bono creatum negabit, dum ipsorumet brutorum natura huic *Divæ* sacra faciat? Duæ aliquando capræ in prætenui ponticulo sibi invicem occurrentes, cū cedere neutra posset, decubuit una, sociamq; proculcatæ supergressa. (*Plin. l. VIII. 50. H. N.*) & *Herodotus* autor est, (*l. III.*) canem quoq; cani adlociatum rupisse vincula, dum mordicū fratrem à leone deprehensum cerneret; qui adspectus *Cambysis* sorori lacrymas extorsit, quod canem mitioris naturæ experiretur, quàm hominem & germanum. Hoc deniq; univesum *concordissimâ* [liceat ita loqui] artificis sapientissimi productum manu divinam fabricatoris sui æmulatur *concordiam*; Sunt sibi elementa quidem contraria, & tamen ex iis ipsis amico conspirantibus sibilo univesum constat harmonicum; nec unquam esset possibile, distractis elementis hoc vel momento valiturum. Si verò interiorem Rerumpubl. naturam intimiùs aliquantò introspicere liceat, nexum & supremam Imperii omnis vim & animam in imperantium & subditorum mutuo invicemq; consensu consistere deprehendemus, quem *Plato harmoniam & numeros* indigitavit; siquidem parili modo, quò ex diversis concentibus prodit *harmonia*, audientium aures gratâ quâdam dulcedine adficiens; ex diversis quoq; *numeris* in unum tandem collecta provenit summa: ita ex diversorum ad eundem collimantium scopum numero sacra & salva constat Respubl. Singula, quamlibet valida, facilè deturbantur ac
 prote-

proteruntur, conjuncta per *concordiam* convalescunt, & in-
 concussa atq; impenetrabilia redduntur; quin & è plurimis in-
 firmis invicem confibulatis existit illa firmitas, quæ unitatis
 propria est. Illud est vinculum, per quod Respubl. cohæret,
 ille spiritus vitalis, quem tot millia trahunt, nihil per se futura,
 nisi onus & præda, si mens illa Imperii subtrahatur. (*Sen. l.*
I. de Clem.) Hæc quasi calx est, quæ Domûs partes unit &
 conglutinat: tolle calcem, lapides dilabentur, & totum corru-
 et superstructum ædificium: tolle *concordiam*, tolle mutuum
 parentium cum imperantibus amorem, diffluent cives, & se
 invicem destruent. Centrum unit inter se omnes Circuli li-
 neas diametrales: tolle hoc, omnes illæ distrahentur: Cen-
 trum urbis & salutis publicæ *concordia* est & unio, quâ abla-
 tâ horrenda & misera universi boni communis insequitur cata-
 strophe. *Concordi* tandem civitati quid bonorum deesse pu-
 tabimus? sufficiunt rerum gerendarum nervi, promptis queis-
 cunq;, in propriam sui conservationem, quod opus, contribu-
 ere: adest multitudo hominum, amicam quolibet conversati-
 onem exoptante; aderunt honores, nemine nisi indigno ab eo-
 rum prensatione excluso; at quis in tantâ animorum unione
 indignus existet? adsunt gloria & potentia, singulis, quod al-
 teri laudi & damno contrâ cedit, & sibi vindicantibus. Le-
 ges proinde severissimas sanctissimasq; ferendas, quibus in-
 ter cujusvis imperii status *concordia* sanciatur illibata, aut ubi
 labare cœpit priùs, quàm in nervum res erumpat, reconcin-
 netur, censuerunt viri publicæ rei benè gerendæ gnarissimi,
 quibus scilicet ipsa firmo stare talo queat. *Si enim Regni*

D membra



membra inter se consentient, corpus universum salubre erit: publica salus privatorum res agras sustentat, moribunda & adfecta Respubl. privatas res vel validissimas secum trahit in excidium. Verbo. Concordia est aureum & adamantinum vitæ vinculum, [en ORDINEM Illustrissimum!] regina heraq; omnia in pace, vitâ, festivitate tenet, prout P. Æmylius (l. III.) loquitur. Græcorum fortissimæ nationis virtutem unica certè & sola progeneravit concordia, atq; ad summam potentiæ ἀνίκην evexit. Quamdiu enim animis inter se juncti fuere, vires eorum incomparabili Persarum potentiæ atq; magnitudini resistere abundè sufficiebant. Non mille navium clasfis, non sexcentorum millium exercitus tam exiguas, sed virtute & concordia munitas probè rupere manus, victi fugatiq; hostes, & non sine dedecore patrium repetere solum fuere coacti. Prudentissimo id secum expendens animo Themistocles solidam tum operam navavit, ut, cum Græcia ab innumero hostium numero jam peteretur, qui laqueos, libertatem victæ suffocandi & constringendi, explicarent, ipsi contra Græcorum Duces animi inconstantia vacillare inciperent, quibusdam ex mœnibus se defendere tutius ratis, quâcunq; eos ratione junctos teneret, quod etiam mirabili quodam astu, & felicissimo longè progressu effecisse novimus. (Corn. Nep. II. 4. 2.) Quamdiu Achæorum civitas quælibet rem suam separatim ageret, suis intenta commodis, sua sequens consilia, in tenui admodum statu atq; exiguo valore fuerunt singulæ. Sed Arati operâ conjunctæ fortissimam dein, potentissimamq; Pelopponesi constituere civitatem, unde & tyrannos,

eorum

eorum libertatem sæpiùs lacescentes, masculè represserunt, vicinisq; non minimo fuerunt formidini. Sanè quid *Romanam* urbem ad tantum extulit gloriæ & potentiæ fastigium? Non aliud, quàm unica & diva hæc *CONCORDIA* præstitit, quâ hostes antea infensissimi in eorum transire castra & urbem incitabantur. Sic *Tatius Romulusq;* eodem in loco concordēs dein regnarunt, quô acie hostes concurrerant, quô novô *Sabinorum* accessu non parum civitas succrevit, & firmissima æternum duraturæ Politicæ jacta fundamenta, nî Eridis pomum deplorandum induxisset interitum. Benè siquidem de bello & pace sperandum, universaq; Republ. si bonos & fortes viros in Magistratu habeat, concordibus junctos animis, parere atq; imperare juxtâ paratos, laudemq; potiùs conferentes in medium, quàm ex communi ad se trahentes, ait *Valerius Romanus.* (*Liv. l. VI. 6.*) De *Venetâ* urbe non aliud dicere possumus, quàm, quod parvus sit mundus, sed perfectus, alma regina omnium aliarum urbium, domicilium virtutum, felix ordine suo senatorio, admirandum speculum sanctissimarum & justissimarum legum, quæ reguntur *CONCORDIA*, non alio planè modo, quàm corpus animâ, dignum receptaculum omnium felicium, omnium imperiorum, quæ virtute & *concordiâ*, non vi stant, imperium. Jam si de *GERMANIS* nostris antiquioribus disserendi facerem initia, uberrima certè *concordiam* eorum, invictamq; inde fortitudinem deprædicandi sufficeret materia. *Græcus* ille *Chalcondylas* se nullam, ait, gentem Germanicâ honestiorem nôsse, quæ concors invicta fiet. Ut enim silentii involvam si-

pario fortiter gesta à *Gothis, Alanis, Langobardis, Hunnis*, aliisq; fortissimis nostratibus Poliorceticis, qui *Romanorum*, rerum tum *Dominorum* potentiam sæpiùs infregerunt, urbem captam incendio non semel deleverunt, ipsis deniq; leges ac jura præscripserunt, cum non in infantiâ, sed primæ jam adolescentiæ vigore constitutus esset *populus Romanus*, & lacertorum robore, pugnorumq; suorum adverso pondere *regiæ licentiæ* pertœsus, suismet viribus libertatem advocasset: quis adeò hospes in lectione *Historiarum* existit, ut modò *Francos* nobilissimos, modò *Cimbros, Marcomannos, Alemannos, Vandalos & Chattos*, aliasq; *Germanicarum* gentium nationes, validissima terrorè hostibus incutiendi nomina, imperii limites continuo ferè Marte infestâsse ignoret? & tum præcipuè, cum summa rei *Romanæ* in virili ætate esset constituta, & excrecendo ad ultimum pervenisset robur. Non de *Bellovesi* expeditione in *Italiam*, non de invasione *Elitovii*, non de *Brennonis* fortissimis factis, quod ea imperii ætatem excedant, loqui hîc fert animus. *Cimbros & Teutones*, sub Regibus *CELIONE, TEUTOBOCCHO & BOLO* *Papirium Carbonem* Cos. cum maximo exercitu profligâsse refert *Florus*, (l. III.) qui dein ingenti multitudine in ipsam penetrarunt *Italiam*, sedesq; precibus non obtentas, vi & armis petere constituerunt, & fugato magnâ clade Cos. *Junio Silano; L. Cassium* Cos. & *L. Pisonem* Legatum prostraverunt. Sequenti rursùs anno *M. Aurelius Scaurus* Legatus Cos. fuso exercitu captus, quod *Romanos* vinci non posse impudenter, nec satis prudenter adseruisset, *Regis* manu fuit inter-

interfectus. Et brevi post C. Manlius Cos. & L. Servilius Capio Pro-Cos prælio victi, castris quoq; bini exuti sunt, octoginta militum millibus, quadraginta calonum occisis. Cumq; jam universam Italiam Hannibalico gravior incesisset timor, ægrè tandem, nec impunè, à C. Mario fuère represæ GERMANI, quod diviso exercitu, & distractis forsan etiam animis, incesissent. JULII CÆSARIS fortitudinem & invictam animi virtutem omnes Romanarum rerum deprædicant scriptores, qui & Monarchiæ Romanæ fundamenta præstruxisse creditur. Cum autem is Ariovisti in Galliâ exercitum factu, temeritate & superstitione captum delevisset, ultra Rhenum quidem progrediens, ipsos in patriâ laceslere GERMANOS statuit, ponteq; constituto tuguriola quædam & humiles Sicambrorum casas accendere, regiæ sibi duxit gloriæ, cum autem inaudivisset, SUEVOS liberos & Conjuges in sylvas deposuisse, omnes verò, qui ferendis essent armis, in unum confluisse locum, contra Cæsarem dimicaturus, pedem retulit, neq; cum populosissimâ gente tentare prælium, numero licet pari, & nuperis etiam victoriis erecto milite, ausus est, sed pontem potiùs, ne hostes haberet insequentes, rescidit, quod vel ipse Cæsar suis de bello Gallico Commentariis recenset, (l. VI.) quæ deintimiditas à Pompejo ipsi objecta,

Rheni gelidis quia fugit ab undis;

Eutropius eundem ulterius Cæsarem bis in Germaniâ infelici pugnâsse acie (l. VI.) prodit. Sub AUGUSTO Imp. FRANCONES nostri inexpugnabiles, foedere cum Cheruscis,



scis, Chattis, Angrivariis, aliisque contra hostes facto, expeditioneque in Galliam suscepta, longè lateque eam sunt depopulati, cumque tanta strage commotus Augustus M. Lollium opponeret, qui irruptione in Germaniam factâ aliquot trucidavit millia, ipsi GERMANI hanc ulturi cladem, duce Mellone Westfalo, hostes adgressi cæciderunt, fugaverunt, & Vtæ Legionis insigne aquilam potiti combusserunt. Drusus quidem variâ Germaniæ mala intulerat, sed discordi maximè, siquidem singulis pugnantibus, & singulis perire necessum erat: ipsi tamen Germani, illo quoque tempore victi magis & triumphati, quàm domiti, invictos perpetuò retinuerunt spiritus, Quintilium Varum cum præcipuo Romanæ militiæ flore ARMINIO duce oppresserunt, servitutem, quæ intentabatur, strenuè eludentes, ipsumque Germanicum, Drusi Filium non melior certè mansisset fortuna, nisi prædæ aviditas victoriæ præmia GERMANIS intercepisset. Certè unicus ferè majorum nostrorum apud Romanos non incelebris Præco, [ipsis Germanis suorum pariter aliorumque maximè incuriosis] Tacitus, ARMINIO Germanorum Heroi fortissimo in constantissimam sui memoriam, sequentem, ab hoste gloriosissimum, erexit (l. II. A. c. ult.) cippum:

ARMINIUS. CHERUSCUS.
DOLO. PROPINQUORUM. CECIDIT.
LIBERATOR. HAUD. DUBIE. GERMANIAE.
ET, QUI. NON. PRIMORDIA. POPULI. ROMANI.
SICUT. ALII. REGES. DUCESQUE.
SED.

SED. FLORENTISSIMUM. IMPERIUM.
LACESSIERIT.

PRAELIIS. AMBIGUIS.

BELLO. NON. VICTUS.

XXXVII. ANNOS. VITAE.

XII. POTENTIAE.

EXPLEVIT.

Neq; verò *Flori, Sallustii & Taciti* ævo *GERMANO-*
RUM intantum virtus effloruit, sed & sequioribus post tem-
poribus. *HADRIANUS* *Cæsar* pontem lapideum, miræ
magnitudinis trans *Danubium* à *TRAJANO* extructum vi-
ginti pilis, quarum fragmenta etiamnum restare dicuntur, sub-
levatum, ex quò *GERMANOS* infestaret, deijci iterùm ac di-
rui penitus mandavit, gentes has nec facile vinci, nec victas
adquiescere ratus. Sed cum ultra præpositam mihi metam
diutiùs his justò fuerim immoratus, maximas *Germanorum,*
Francorum, Anglo-Saxonum, aliorumq; ex *interiori Germa-*
niâ prodeuntium virorum *SEC. V.* factas in *Romanorum*
provincias irruptiones, reliquosq; celeberrimos nostratium
triumfos, quos à potentissimâ *Saracenorum & Turcarum*
gente, à truculentâ *Slavorum* natione, aliisq; populis com-
pluribus unanimes reportârunt, lubens jam transibo. Tan-
ta *concordium GERMANORUM* hæctenus erant gesta!
tanta eorum felicitas! tanta *FRANCORUM* virtus, ut il-
los amicos potiùs, quàm vicinos, plurimæ exoptarint natio-
nes! Sed, quod miserandum in modum plangimus omnes,
multum à verâ *Germanorum* indole, à nativo eorum splen-
dore

li-
a-
o-
vit
ne
te
ni-
si-
at:
ri-
s,
R-
r,
on
ia
a-
o,
s]
n-
si-
I.
D.



dore degenerasse videmur *Teutones hodierni*. Virtutem e-
quidem, & heroicam animi magnitudinem etiamnum iis ines-
se non facile negaverim, quâ si mentibus manibusq; conjun-
ctis hostes adgrederentur, quosvis sibi infensos in valores pel-
lere valerent; idq; acerrimi *Germaniae* hostes probè habent
perspectum, dum non alio se modo *Germanorum* vires de-
bilitare & infringere posse confidunt, & gloriantur, nisi ipsi
Germani manus adcommovent, suo sibi ipsis sanguine liber-
tatem eripiant, suâq; nece alienam redimant victoriam; nam-
que hi in *Ordinum concordia* exiguos aut nullos se usquam es-
se vident, malæ inde rei se potiùs, quàm nullius, barbarum ac
dissensionum Duces esse malunt. Atq; unicum certè hoc
discordiæ virus invictam ante *Germanorum* virtutem vicit, &
graviter adflixit. *Taciti* singulare votum est, quod pro *Ro-*
manorum incremento concepit, Diisq; persolvit, (*de M.*
G. c. 33. v. 3.) *Maneat, queso, duretq; gentibus* [*Germa-*
nicas innuit] *si non amor nostri, at certè odium sui; quando*
urgentibus imperii fatis nihil jam præstare fortuna majus pot-
est, quàm hostium discordiam! Haud absimile votum *Cl. Ma-*
mertinus (*in Genethl. Imp. Maxim.*) prodit, precando:
Undiq; se barbara nationes [*ita Germani tum infamati*] *vi-*
cissim lacerent & excidant, alternis dimicationibus & insidiis
clades suas duplicent & instaurent! Utinam hoc infelici, quò
nobis vivere natura imperavit, ævo non plures eodem *Taciti*
animo simile exoluerent votum, eodemque non intimiùs
jubilarent! Discordiam GERMANORUM jam *Taciti*
ætate non insuetam, ast ad confundendas hostium vires infeli-
cisfi-

cislimam semper fuisse, vel ex hoc constat, quod alicubi
 (c. 33. de M. G.) Super LX. millia Germanorum, non armis
 telisq; Romanis, sed, quod magnificentius existimatur, oblecta-
 tioni oculisq; cecidisse memorat. Eluserat Marbodius infini-
 tam Romanorum ambitionem, calliditate & virtute exercu-
 erat, plurimumq; dedisset Romanis negotii, nisi intestinis ar-
 mis collisi inter se duo Germanici Martes, quorum alter Ar-
 minius, nudum hostibus latus præbuissent. Et bella civilia
 inter Arminium atq; Segestem orta, hujus ad Germanicum,
 patriam tum oppugnantem transitus, proditaq; ab ipsis Ger-
 manis popularium suorum pro liberandâ patriâ consilia, pluri-
 mum juxta eundem Autorem (l. I. 55. A.) hostibus condu-
 xerunt. Neq; enim aliâ de causâ ruunt imperia, quàm si
 membra unius ejusdemq; corporis, in se invicem insurgant,
 quod lepido simul & verissimo apologo Agrippa Menenius
 ostendit. Nulla siquidem, minima quamvis natio, ab adver-
 sariis potest perdeleri, nisi propriis simultatibus se ipsa con-
 sumserit. Græciæ Civitates, dum imperare singulæ averent,
 imperium omnes perdidisse, testis est Justinus, (l. VIII. 1.)
 quandoquidem PHILIPPUS Macedonum Rex velut è spe-
 culâ quâdam libertati omnium insidiatus, dum contentiones ci-
 vitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter vi-
 ctosq; regiam subire servitutem cœgit. Latissimum sanè Ma-
 cedonum imperium, tertiæ Monarchiæ nomine præcipua Or-
 bis regna complexum, intestina Ducum discordia rupit atq;
 dissipavit. Numantia, Carthago, perpetua Romanæ gloriæ
 æmula, invictissimæ erant in unum conglomeratæ, concor-
 diaq;

msup

E

diaq;



diæq; liberam præbentes aurem; Sed quam primùm discordiæ
 in iis sparsum venenum, solo æquata & excisæ sunt. *Roma-*
norum civitati, quæ à potentissimis reliqui Orbis Regibus se
 adorari viderat, ad bella externa maximæ supererant vires,
 quibus inter semetipsos certando abusi, omnimodam urbis
 cum imperio everfionem maturârunt & induxerunt. Dum-
 modò hæc Furia Romulidarum infederat animis, *non gradu,*
 ut *Vellejus Paterculus* (II. 1. 1.) loquitur, *sed præcipiti cur-*
su à virtute descitum, ad vitia transcursum, vetus disciplina de-
ferta, nova inducta, in somnum à vigiliis, ab armis ad volu-
ptatem, à negociis ad otium conversa civitas. *Gracchorum*
 quidem cœde civili sanguine *Romanum ferrum* primò imbu-
 tum, ast in eo temperatum, quod in non adeò multorum ca-
 pita clades ista fuerit pervagata. Sed ut feræ quædam hu-
 mano cruore semel gustato in apertam exeunt rabiem; ita ci-
 vitas suorum sanguine semel atq; iterùm infecta, in tantam do-
 mestici cruoris fitim fuit prolapsa, ut justâ acie nonnunquam
 inter cives, in parentum & natorum conspectu mediâ urbe sit
 dimicatum. Hinc nefarium illud *C. Marij & L. Syllæ* certa-
 men, quod tot civium millia patriæ abstulit, triste ac dirum
 malis futuris rudimentum. Gesta sunt inde alia bella civilia,
 quorum velut non satis capax esset *Roma*, non satis *Italia*, ne-
 fasq; putaretur, civem in eò solo cadere, in quò & natus esset,
 & educatus, civilis furor in *Macedoniam* primò translatus,
 ad *Meridiem* mox se vertit, & inde ad *Occidentem*, ut omni-
 bus diffunderetur terris, manavit victoris populi cruor. Sen-
 serunt & *maria* id malum, stigma hoc Romani nominis nun-
 quam

quam deletura, *Libycum, Siculum, Ambracium*, ad postremum terræ rursus *Philippi, Gallia, Germania*, ne qua mundi plaga esset, Romani sceleris nescia, donec civitas, omnium alioqui gentium victrix, in suum concidit vulnus, & *Cæsare atq; Pompejo* Ducibus se planè in exitium suum infirmavit & afflixit. Pari modo *Occidentis imperium* primò successorum discordiis convulsam, paulatimq; velut nervis incisis, & solutis compagibus inclinatum, ad ruinam, postea exterarum gentium impetu ac violentiâ gravius impulsam, penè corruit, his per reliquias involantibus, & rudera diripientibus, nemine prohibente, imò consternatis & trepidantibus universis. Sic & cum domesticis bellis atq; seditionibus enervatæ atq; in contemptum ductæ essent vires *Constantinopolitane*, initio commoti suâ sponte, deinceps invitati quoq; & acciti ex *Asia Turcæ, ex Europâ Hispani, Franci & Itali*, iiq; diversi & inter se disidentes *Veneti, Pisani, Genuenses, Florentini*, uno quasi impetu in reliquias miserè dilacerandas incubuerunt, donec *Turcæ*, oppressis per partes *Palæologis, Serviis, Bulgaris; Hispanis* verò & *Italis* cum *Francis* exclusis, *Orientem* omnem edomuerunt. Ita quælibet per se magna potentia non alienis & externis, sed suis dissoluta & dissipata viribus concidit! Ditisimum *Peruvia* & potentissimum *Meridionalis America* Regnum *Hispanorum* truculentæ crudelitati nil quoq; aliud subiecit, & *Fr. Pizarri* invasioni portas aperuit latè patentes, quàm fraternum illud disfidium, quò *Guascaris* & *Athabalibæ* mutuò incitatæ opes, se ipsas prius imminuerent, & fratrum alter alterius caderet manu, tandemq; nec

immenso auri thesauro vitam redimere adhuc viventi conce-
 deretur. *Polonorum* fortissimis conatibus grave vulnus
 continuo inter eos gliscentes rixæ hæcenus inflixerunt.
 Quantas verò concordia laurus ipsis pepererit, nuperrimæ re-
 lationes fuerunt testatæ. Sed exteras, & barbaras partim,
 quid refero nationes, quæis ultimam mutua *discordia* con-
 summavit perniciem? GERMANOS sanè eandem à multis
 jam seculis subiisse vicem, quis verè *Germanus* mecum non
 queritur? Ut *Britanni* olim, sic sequentibus, & nostris etiam
 temporibus GERMANI, si verum dicere fas est, per *Principes* fa-
 ctionibus & studiis trahuntur, nec aliud adversus validissimam
 gentem pro hostibus nostris utilius, quàm quod in commune pla-
 nè non, aut rarò & testudineo quasi gradu consulunt. Rarus
 duabus tribusq; civitatibus ad propulsandum commune pericu-
 lum conventus: ita dum singuli pugnant, universi, cheu! vin-
 cuntur, (Tac. Agr. XII. 2. 3.) Insignis ille & verax SECU-
 LI XI. Historicus, LAMBERTUS SCHAFNABUR-
 GENSI, Monachus Hirsfeldensis, Ducem Poloniae se ab o-
 bedientiâ Germanorum imperio debitâ non aliâ de causâ exemis-
 se scribit, quàm quòd Principes Teutonicos domesticis seditioni-
 bus cerneret occupatos, quamvis dein, sed nimis serò, seriò id fa-
 ctum dolerent, sibiq; invicem succenserent, quod cum intestinis
 in se atq; in sua viscera odiis sevirerent, & digladiarentur, potenti-
 am opesq; barbarorum in tantum aluissent, ut jam Poloniae Dux
 in ignominiam Regni Teutonici Regium nomen, regiumq; dia-
 dema impudens adfectâsset. Verùm non Poloniam tantùm
 discordia Germanorum perdidit, sed Daniam quoq; Transyl-
 vaniam

vaniam, & universam fermè Hungariam, quin & Italiam ac Romam ipsam, variasq; ex Imperiali Aquilâ plumas decerpi non obstitit, ut adeò verendum, ne hæc ipsa pestis totam aliquando miserriimo interitu sepeliat Germaniam. *Familia Carolina*, amplissimum illud, splendidissimumq; totius *Europa* decus, aliam excidii sui causam, quàm intestina hæc odia non habuit; Sicut & ipsa *Cæsaris* stirps ex prudentissimo *Taciti* iudicio (*l. II. 44. A.*) ideò deleta, quòd diversa & discors aula esset, tacitis in *Drusum* & *Germanicum* studiis. Et profectò post beatissimum *D. LUTHERI* ex hâc miseriarum valle excessum, [contigit autem is infausto admodùm omine die *CONCORDIÆ* sacro, annis abhinc supra centum viginti septem:] omnem inter *Germanos* expirâsse *CONCORDIAM*, & cum sanctissimâ *Ejus* animâ superas ad auras fuisse evectam, vel tristissima, proh dolor! hætenus evincunt fata. *Causas disidentium* adeò, mutuoq; se livore complectentium *Germanorum* dum explicare adgredior, manum quasi ab incepto retrahit prolixior sermo, proinde aliûs id temporis, alterius quoq; occasionis erit aliquando argumentum. Sed nunquamne *GERMANI* proprio, nedum alieno periculo cautiùs mercari addiscent? Num indefinenter bonum publicum privatis impediunt diffidentiis? num continua inter se gerent bella, inevitabilem sui interitum maturaturi? Hostibus semper utrâq; ex parte cinguntur infensissimis, ad quævis attentis, & stabiliendorum, augendorumq; Regnorum unicè cupidis, quiq; vitia nostra in suorum exercituum gloriam convertere didicerunt. Extimescit certè *Turcarum* barbaries

GERMANORUM virtutem, sed eorum nunquam finiendas novit discordias, novit nunquam, aut rarissimè eos amicè conspiraturos, indeq; parum sibi ab illis periculi imminere credit. Quod vel *Legatus* ille *Turcicus*, *Ibrahimus*, in *MAXIMILIANI II. CÆSARIS* electione *Busbequio* satis candidè prodidit, *se Germanorum quidem maximam potentiam, viresque immensas esse, facile concedere, adserens, sed animos eorum, consilia & actiones sibi similes videri beluæ multorum capitum, pluriumq; caudarum, quæ agitata sepem transire conaretur, unde cum capita diversa diversa transeundi quærerent foramina, necessarium fore, ut caudæ simul & corpus immota manerent, & ne progrediantur ulterius, impedirentur;* (*Cammer. Cent. II. 23. Hor. subcis.*) Inde pro *Turcarum* haberi solet arcano, eosdem *Germaniæ* non mutua in vulnere armatæ & discordi, sed nominetenùs *concordi* inferre bellum; quamvis enim id ipsum imprudenter alicui, & contra omnem *Politicoꝝ* rationem fieri videatur; solido tamen quodam innititur fundamento, quod iterum *Legato Cæsareo* aliquando exposuit *Caimachan*, intimus *Turcici Imperatoris Consiliarius*, minus barbarâ quâpiam ratione: *Germania*, inquit, *densa est & vasta sylva, quam nobis perrumpere non licet, donec ipsi Germani inter se discordes sylvam illam passim exscindant, nobisq; viam aperiant.* Et *GALLOS* parùm æquos Imperii nostri amicos esse, vel hodiè satis constat; Sed hos tamen *Germanorum* sublevat perfidia dicam, an dementia? Ita *Germani* per *Germanos* vincendi! ita frater in fratrem, filius in parentem, amici in cognatos scilicet irritandi! Sic *Lacedæmoni*

nii olim, quibus *Atheniensium* fortuna sedes in oculis, *Peloponnesi* & *Universae Graeciae* maturâscent servitutem, nî submotis, quæ occultè gliscebant, simultatibus, in certas cum *Atheniensibus* pacis & *Concordiae* regulas jurâscent. Idem *Athenienses Sicilia* anhelantes imperium nova litium semina inter *Siculos* spargebant, variasq; fovebant factiones, quibus certò certius libertatem ipsis simul cum armis tandem excussissent. Verùm subodoratus id *Hermogenes Syracusanus*, autor civibus extitit, ut sepositâ omni diffidentiâ in mutuam redirent gratiam, maturè ita infidias patriæ structas præcavescentes. Nos adeò amentes videmur, ut casus, nostræ salutis ab hostibus prætenso intueri & vitare negligamus, neq; altissimo, quem indormimus, sopore nos excitari ab *Hermogene* quodam permittamus, neq; ipsorum etiam hostium levissimis jactationibus, quas publicè spargere non erubescunt, quasi nostram vel maximè promotam illorum bono audeant & gaudeant discordiam. Sed nunquamne vos veterum hunc excutere laborabitis, *dulcissimi Germani*? nunquam oculos aperietis, ad dirumpendos, quibus vosmetipsos implicatis, laqueos *Germanicos*, ò populares? rumpite! rumpite! excidium in dissidio, dissidium excidii unica, sed pessima genitrix. Toties jam ab hostibus agrorum vastationes, oppidorum dirptiones, urbium everSIONES, munimentorum denudationes factas percepistis, & quasi hæc alios longè, non vosmetipsos spectarent, securos, & ab omni sepositos existimatis vos periculo. Ast nunquid otiosas in sinu reconditis manus? *Fæminæ* id vestræ probro sibi ducunt, nedum vos *viri Germani*.

An

An omnem planè disensionum mutuarum radicem evellere factu ducitis impossibile? Neutiquam ita judicandum, perverso & præcipitato consilio, cum concordiam stabiliendi diversos modos tot sagacissimi ostenderint viri, quos inter *Maximè Reverendus & Præ-Nobilissimus Dominus à LILIEN*, in exhortationibus ad Proceres & Status Imperij, de tranquillo pacis statu servando, in Comitibus Reginoburgi dictis: nec ullum hæret dubium, quin CL. BOECLERUS similia protulisset in medium, illo, quod de *CONCORDE GERMANIA* promiserat scripto, pro insigni & prudentiæ & eloquentiæ, quâ pollebat, facultate ostensurus *impedimenta CONCORDIÆ indomita, tum superabilia, & causas malè coherentis concordie, & discordie erumpentis, remedia, quæ optari, quæ sperari, quæ nec sperari possunt, plura recensendo, ex annalibus patriis & seculorum serie*, ut propriis ejus verbis (ex *Mus. p. 95.*) declarem inscriptionem contentaq; operis, cujus jacturam deploramus. *AUREAM BULLAM*, Imperii legem fundamentalem à *CAROLO IV.* ideò latam fuisse ipsa prodit inscriptio, ut disidium procerum in *Germaniâ* eâ discinderetur, qui communiter non exiguas in eligendo Imperatore excitabant turbas. Sed quanto hæc studio *CONCORDIÆ* inculcet amorem, tantò contra eam fervore perturbatores hodierni, tanquam præfracti legum omnium conculcatores, incitantur. Summum *Imperii Judicium CAMERALE* ad conservandam in eò tranquillitatem voluit institutum D. *MAXIMILIANUS*, prout *Wormatiæ* in *Judicii illius ordinatione* publicâ contestatus est; Ast quò illud hodiè pretio ducitur? Num itaq;

itaq; omne jus & æquum sublatum optatis? Num toties repe-
 dita, publicisq; in Imperii conventibus injuncta, & Recesibus
 intexta *concordiæ* sectandæ mandata & inonita respuere *Ger-*
manis honorificum censendum? *Wormatiensi* siquidem *Re-*
cessu de A. 1495. Augustano A. 1500. Wormatiensi A. 1521.
Ratisbonensi A. 1603. & 1654. reliquisq; ad unum omnibus
 fuit præcepta. *GERMANIÆ* tricennali atq; funestissimo
 illo disfidio penitùs fermè everlæ *Pacificator longè Gloriosissi-*
mus D. FERDINANDUS III. in literis ad *Bavaria Ele-*
ctorem datis clarè profeslus est, cunctis *Germanorum* hosti-
 bus nihil perniciosius contingere unquam posse, quàm Statu-
 um conjunctionem & sinceram *CONCORDIAM*, sicut
 contrà universum Imperium mutuis quasfaretur disensionib-
 us. *An Divino huic Divi Oraculo* adsentiri posthabebitis?
 Num diuturnos illos *Procerum & Legatorum Conventus*
 frustraneos esse exoptatis, qui ad restaurandam *concordiam*
 vel præcipuè instituuntur? Atq; ab hostibus vobis adeò insultari æquo feretis animo? qui publicis etiam scriptis proximè editis de internis *Germanorum* factionibus, odiisq; domesticis tripudiare & gloriari non verentur, priusque *Germaniam* subjugari, quàm ad mutuam defensionem excitari posse, di-
 cū horribile! clamant.

*Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
 Barbarus has segetes? En! quò discordia cives
 Perducit miseros? En! queis conservimus agros?
 (Virgil. Eclog. I.)*

Num vestris uxoribus inferri vitium, stuprari filias, vestra necari pignora, aut in vincula abduci, vestrùm ipsorumet jugu-
 lum

F



lum peti patiemini ? idq; aut alieno capti auro, aut fucato peregrini imperii splendore obcecati, aut levi aliquo erga socios & vicinos odio obfirmati, aut inanibus quibusdam, & maxime fallacibus verborum lenociniis, fictisq; sincerationibus (in re non sincerâ minùs quoq; sincero uti liceat vocabulo!) dementati? Absit & hoc à GERMANIS verè germanis dedecus! Una hîc omnium salus est: Syrenum cantus auribus excludere, & armorum communium, ut ita dicam, fortissimo motu, libertatem vobis conciliare. Proximus ardet Ucalegon, confinia ignibus & armis fulgent; hostem in ipso Germania hæsitantem meditullio conspeximus, adcurrite, proin, ò cives! adcurrite ad commune restinguendum prius incendium, quàm vos ac vestra absumat, ne vobis idem, quod Græcis olim obveniat, qui omnibus perire, quod singuli amitterent, non nisi à Philippo jam oppressi senserunt. Ex aureo id tripode dictum habendum, unius Imperii Statûs cladem cæterorum esse ruinam, & instrumentum servitutis omnium. Proinde gloriâ equidem jamdudum pleni GERMANI, imperii majestatem justitiâ potiùs, quàm armorum adfuitate tueri præoptant: nec sub Pacifico Capite alios hætenùs lacesere nostræ erat laudis: at ferrum hostes efflagitant, laurum prosternunt pedibus: proin capite ferrum, & ex ferro laurum immarcescibilem! Dum verò, quod jaçtitant hucusq; Germania hostes, pacem unicè quærunt, non habebunt certè nos difficiles in reconciliandâ gratiâ: generosis facilè inter se convenit: ast reconciliatio vera sit & sincera, non spuria, nec fucata, necesse est. Quietos itaq; vos publicis his turbis ne utiquam existimate, utriusq; partium belligerantium furori expositi.

positi.

positi. Ignaviæ à vobis abstergite maculam, nè merita vos maneat supplicia, ceu *Mithridates* illos, quos ignavia aut prava calliditas, ut Regis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas poenas solvere jusfit. Inconstantia crimem, [id autem muliebri vitium,] vix ac ne vix quidem effugietis, incertæ famæ captantes auram, ut quocunq; pendentes animos tulisset fortuna, sequi vobis placeat. Mala siquidem solertia est, utrinq; militare, alteriq; partium corpus, & alteri animum adcommodare. En Gloriosissimum Imperii Caput, *Augustissimum LEOPOLDUM Casarem* seriò & unicè id meditari cernitis, quò sincera Germaniæ pax, satis diu hætenùs impunè concussa, tandem aliquando redeat, & quilibet sua deinceps, tranquillissimo securitatis statu, possit sectari! Capiti manus adcommodare auxiliatrices non indecorum! contrarium quidpe ipsa abhorret natura, leges vetant, DEUS vindicat, indelebile magno GERMANORUM nomini & honori stigma inurit. Cernitis *Serenissimum Principem, DN. CHRISTIANUM ERNESTUM Marchionem Brandeb. Prusisæ Ducem &c.* summo cum studio id dare operam, quò tranquilla Germaniæ pax, serena & infucata reluceat amicitia, sua inde cum S. CÆS. MAJ. armis ad æviternam Serenissimi Nominis gloriam, conjunxit, quibus benignissimum Numen ex alto benedicere velit! Noluit scilicet avitam illam, & ab omnibus ferè *Serenissimis Marchionibus Brandenburgicis* in se derivatam CONCORDIÆ laudem sibi præripi *Serenissimus CHRISTIANUS ERNESTUS*, aut Illustri hoc Nomine terminari. Quis enim familiæ hujus *primum Electorem FREDERICUM*, cui *SIGISMUNDUS Imperator* ob longè claris-

fima merita *A. XV. SECULI XV. Marchiam Brandenburgensem cum Elektoratu tradidit, CÆSARI modò dicto Magdeburgenses & Hallenses, quòd contra Episcopum arma movissent, proscriptos in Basileensi Concilio A. 1435. reconciliasse ignorat ? Hujus in Elektoratu & nominis gloriã successor FRIDERICUS II. mutuam sancivit concordiam inter Saxonie Duces & Fratres A. 1451. Qui sequentibus etiam temporibus ortum illud inter Brunsvicenses Duces & civitates maritimas belli incendium, summã extinxit prudentiã Anno 1467. ALBERTUS, cui rerum gestarum gloria *ACHILLIS* nomen tribuit, Elektor hujus Familie Tertius in suã domo firmaturus concordiam, eamq; exteris adsociaturus, *pacta* condit *hereditaria*, & *Confraternitatem* (ut dici adsolet,) inter *Saxonicam, Brandenb. & Hassiacam* init familias. Cujus Filius Parenti certè suppar suã facundiã, quam ob *NESTOR GERMANICUS* adpellatus, arma facit ponere in mutuas jam cœdes ruentes *CASIMIRUM, Regem Poloniae, VLADISLAUM Bohemiae, & MATTHIAM Hungariae Reges A. 1474.* Quantum *JOACHIMUS II.* pro concordia non parùm conquassatã in Germaniam reducendã laboraverit, testantur ejus ævi monumenta. Sanè *Augustum Electorem Sax.* Hic cum patrueli *ALBERTO Juniore Marchione Brand.* post *Mauritii obitum A. 1553.* reconciliavit, & non minori studio ad extinguendum *Gothanum* illud bellum incubuit. Excepit hunc *Potentissimus & Serenissimus JOANNES GEORGIUS,* quem *Concordiae* cura tetigit tanta, ut dies noctesq; in componendo Religionis dissidio, quod in *Archi-Episcopatu Coloniensi* tùm flagrabat ardentissimè, meditatus*

ditatus fuerit; & omnem moverit lapidem, ne Nepos *JOANNES GEORGIUS* in *Episcopum Argentoratensem* electus, dicto *Episcopatu* excideret. *JOACHIMUS FRIDERICUS Noribergensium* tollit disidia, quæ volvere cœperant cum *Serenissimo GEORGIO FRIDERICO, Marchione Brandeb. & Polonorum* cum *Suecis* exasperatos redunire, sed frustra nititur animos. *JOANNES SIGISMUNDUS* plurimum quoq; in *Pace publicâ* restituendâ fuit operatus, quod maximum opus omnibus in comitiis per suos urfit & promotum voluit Legatos. *GEORGIUS WILHELMUS A. 1628.* disidium inter *Polonia & Suecia Reges* funditus evellere nisus, tantum expertus est succesum, ut à mutuis cesatum tum cœdibus. Hic idem, quanto conamine restauratam voluerit cum *Potentissimo FRIDERICO WILHELMO Electore hodierno Pacis Germanicæ* opus, meo non indiget eloquio. Propriis certè provinciis illam Imperio fuisse redemptam, quis quæso nescit? Tanta *Potentissimorum Electorum Brandenburgensium* pro *Concordiâ* reducendâ studia. Nec minora vero *Serenissimorum Marchionum* semper fuere. Non indefessa *JOANNIS, cognomine Sapientis* studia in reduniendis *Episcoporum & ALBERTI Marchionis* exasperatis animis prolixè hic explicabo, sed adduco tantum *D. CHRISTIANUM*, qui *Anno, currentis SECULI XI.* cum propriam quoq; tangeret causam motum illud *de Juliacensi hereditate* disidium, nil tamen laboris & studii omisit, ut *Saxonicas & Brandenburgenses familias* efodicatis, quæ fovebant, odiis, sibi invicem conciliaret. *Anno quoq; 1645. & sequentibus* nullis pepercit sumtibus, nullis vigiliis, ut *Monasteriô* tandem

aliquando serenior *Germaniam*, ultimum jam spiritum trahentem lux adfulgeat. Hos sibi, quos imitaretur, proponens *Serenissimus CHRISTIANUS ERNESTUS* tantum hactenus laboravit pro *concordiâ*. Sed quare & vos reliqui adhuc cesatis? Quid cunctatione hinc opus, ubi perniciosior quies, quam ipsa etiam temeritas? si talismodi hæc, non summa potius æquitas esset, & stringens necessitas. Eò enim relictis, ut sive quiescendo, sive agendo, eadem superstent fata, quæ pugnando agunt, capienda consilia; siquidem, dum otiosâ contemplatione rerum exitum operiri placet, manent accidentia, causæq; periculi, quales fuerunt, cum contra audacter contrahendo offertur, quod depellere potest periculum, aut si frustra, cum tamen hoc rerum statu facilem meliori causæ victoriâ multa polliceantur, insudatum, obsistendi certè vos animum habuisse monstrabitis. (*Chr. Forstner. Not. ad Tac.*) Privata unicè publicis posthabenda: si enim in universo hoc Germaniæ corpore quodvis ex membris suum tantum intenderet commodum, neq; reliquorum simul, næ facile debilitaretur, totumq; dissolutâ compage interiret! Hostes & se & vos novère, dissidia Ordinum venenum hujus corporis est, dum inter vos de frivolis altercamini, sustollunt illi animos, perpetuumq; dissidiorum inter vos canunt classicum, & in mutua vos armant vulnera. Agite igitur *Potentissimi atq; Serenissimi Germaniæ Principes*, fortissima Imperii columina! agite GERMANI mei omnes & singuli! *CONCORDIÆ ORDINEM Illustrissimum* recipite, necite manus & mentes concordēs, sociate arma, non diffidentiâ, sed mutuo amore expolita; ita cum fortitudo vobis non desit adversus hostes, & viribus in catenæ seriem nexis

mutua

mutua sequatur *Concordia*, felicissimo certè statu *GERMANIA* dispulsis, quæ imminent, tempestatibus beabitur. Sic extremo civitatis nostræ malo fugato, læta redibunt halcyonia; sic ab externis hostibus tutos nulla deinceps tyrannis delibabit; sic *S. Imperii* brevi reflōrescet magnitudo & integritas; sic Magistratui suus rurſus constabit honos & autoritas; sic populo salus & quies. Hoc modo florentissima *Respubl.* tranquillissima *Religio*, sanctissima *justitia*, accuratissima *legum observatio*. Hoc modo discordi erepta *Germaniæ* concors recuperabit, reparabit, & redditâ undiq; securitate feliciter pacis emendabit supplebitq; dulcedo, quod belli hætenus imminuit asperitas. Hoc ut fiat, ardentissimis suspiriis *CONCORDIÆ* omnis autorem & datorem, *DEUM Benignissimum* imploro, ipse *Germanorum* mentibus *CONCORDIÆ Ordinem* instillet, sincerum inter eos minusq; fucatum excitet amorem & candorem, quò viribus virisq; conjunctis cunctos è finibus suis hostes depellant ac proturbent, ut ne imposterum nostra lacescere sacra & tecta audeant ulterius, sed suis contenti sedibus, novas dein perversâ ambitione quærere desistant! Restitue, ò *Trinune DEUS!* *Pacis fons*, *Imperio pacem jam ferè deperditam!* restitue lætiora tempora! *CONCORDIÆ* quoq; vinculo constringe *Exercitûs Casarei Duces*, quò in commune consulentes unâ mente, uno animo hostes imperterritè adgrediantur, omnemq; denuò evagandi licentiam amoveant! Effodias, *Clementissime Pater*, cordibus eorum omnes rixarum spinas, si quæ fortè sunt, ne animis dissideant, quod omnium omninò est periculosissimum. *Maximè verò Divinae Tuae Clementiæ alis Serenissimum Principem ac Dominum Nostrum*


Nostrum protege, cum universo Illustri Comitatu, ut contra
 omnes hostium insultus, sub fortissimâ Angelorum tutelâ qui-
 etus consistere, Tuamq; ò DEUS Optime! rem masculè defendere
 queat! Concordiæ Spiritu imbue totum huncce Marchionatum,
 omnesq; ejus incolas! sit pax & concordia in choro, sit in foro
 & thoro! ut omnia indies magis magisq; efflorescant & auge-
 antur, quò nominis Tui perennans gloria, nostrumq; omnium,
 tam hîc terminatura, quàm illic perpetuò constans promoveatur
 salus! Illustrem CONSILIARIORUM Ordinem Nostro
 quoq; CONCORDIÆ adstringe vinculo, ut singulis eadem
 mens ad boni publici studium prosequendum, mali evitandum!
 Sic ALFONSI sapientissimi valebit votum, & consilium,
 qui sapè professus est, se, si Romanorum priscorum vixisset tem-
 poribus, in curiâ Jovi Positorio aram fuisse consecraturum, in
 quâ Consilarii, antequam venirent in consilium, amorem,
 iram, odium, gratiam aliosve ponerent adfectus. Collegii quoq;
 hujus Illustris Professores pariter & Auditores CONCOR-
 DIÆ ORDINI addictos esse jubeas! Sic illorum labor non
 erit frustraneus, horum certè studia Ecclesiæ & reipubl. quàm
 maximè olim profutura. Publicè deniq; & privatim sit ho-
 mo homini DEUS! Sit vera inter socios, amicos, collegas &
 fratres amicitia! sit genuinus amor! & sic certissimam illius
 effati veritatem reipsâ comperiemus: Concordiâ res
 parvas crescere; Discordiâ magnas
 quoq; dilapsuras.

1017

MC



SI
C
MARC
GENS
PR



PRINCIPI
MINO
ANO
TO,
NSI, MAGDEBUR-
ENSIIUM, POMERA-
T VANDALO-
CROS-
ORE-
RGENSI,
MINDENSI ET
NTISSIMO
NCORDIA



hic
rati
mo
ære
jori
Vef
is a
felic
VES
VES
&C
NIT
voc
xim
SP
SER
ce-